

*Ass.* EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

*v63.*

VITEBERG.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.



8  
TRANQUILLITAS

CONSCIENTIÆ CATHOLICÆ,

SEU

Veræ, Unius, Sanctæ, Catholicæ,  
& Apostolicæ Ecclesiæ, verbis & senten-  
tijs, Solius Sancti Spiritûs in scripto  
verbo loquentis, post varios & diuturnos  
fluctus acatholicos conscripta & co-  
ram mundo publicata.

PROFESSIO,

PER

NICOLAUM THAMASSI,  
aliter FABRI SOLNENSEM,

I. Cor. I. v. 10.

Obsecro vos Fratres, per nomen  
Domini Nostri JESU Christi, ut id-  
ipsum dicatis omnes, & non sint in  
vobis Schismata. Sitis autem perfecti in  
eodem sensu, & in eadem sententia.

---

TYRNAVIÆ, Typis Academicis, Excudebat  
Joannes Nicolaus Martius. 1687.



*Deuter. 32. v. 7.*

Interroga Patrem tuum & annuncia-  
bit tibi Majores tuos, & dicent tibi.

*Prov. 6. 16.*

Videte & interrogate de semitis an-  
tiquis, quæ sit via bona, & ambulate in  
ea, & invenietis requiem animabus ve-  
stris.


*Orosius Serm. 7. C. 33.*

Unus Deus unam fidem tradit, unam  
Ecclesiarum toto orbe diffudit, hanc a-  
spicit, hanc diligit, hanc defendit. Quo-  
libet se quisque nomine tegat, si huic  
non sociatur alienus, si hanc impugnat,  
inimicus est.

*Lactantius.*

Singuli quique Cætus Hæreticorum  
se potissimum Christianos, & suam esse  
Catholicam Ecclesiam putant. p





## Ad Lectorem & Zoilum.

**V**bi Confessionem istam legere ô benevole & tuo quisquis es Titulo colende Lector decreveris, per Christiano homine dignam sinceritatem, per animæ tuæ salutem imo ne quid affectui desit, per sacra flagellati JESU vulnera & gloriosa Clavorum vestigia te rogo ante omnia odium, quo mutata religionis causâ in me excarsisti, depone, & non cavillandi studio, sed veritatis, vel ut putas falsitatis investigandæ gratiâ evolve: Nec ideo minus estima quod ab Autore vili, & nullis honorum titulis clarificato prodeat, cum erroneum sit errorem, vel veritatem, Personæ vel claritate, vel obscuritate metiri: multo minus superciliosè contemne, quod nihil contineat, quod prioribus ante saculis per tot Myriades Sanctorum, Confessorum & Martyrum confessum non fuerit, quin potius eò attentiore animo evolve, quod Antiqua illa veritas, quæ novis Neotericorum machinis perperam oppugnatur, invenierit scrutatorem: fore enim adspirante Divinâ Gratiâ, ut piè revolutis sanctæ Scripture dictis pro veritate Catholica, & vanitate Aetholica radiantibus, reruminatis Rationibus, quibus illa innixa inter tot Sæculariorum ignitas furias inconcussa persistit, illumineris. Non posse enim humanis viribus niti, quod tot

saeculis à tot & tam potentibus hostibus in cassum  
oppugnatur, tanto firmitus est, quanto pertinacioribus  
machrophoris oppugnatur. Sed cum nihil ferme  
quisquam bonorum præclare egit, cui non  
mox improbus quisque detrectet: idcirco hoc  
quoque factum non minus ab improbis repro-  
babitur, quam à bonis, & intelligentibus lau-  
dabitur. Prasentio igitur varijs famam meam con-  
taminatum iri contumelijs. Ast præstat cum Sancto  
Augustino: Gloriam respuere vanitatis, quàm  
non cedere viribus veritatis. Apostata itaque  
nomen tam certum quàm Neocatholici, turpi incon-  
stantia, vel honorum illecebris irretitum Evangelicam  
veritatem abnegasse, ac ideo neque Persona colloquio,  
neque lectione Libellus dignus. Sed mi Christiane  
(non enim te Amici nomine, quod respicis compello)  
non ita Considerationem aternitatis excussi, ut hono-  
res, quos tu more tuo inaniter jactas, vel quidpiam  
humani sempiternæ Saluti anteponeverem, quin potius  
clariora Sacra Scriptura dicta in sensu obvio exarata  
tortuosis, & ad placitum confictis expositionibus,  
integritatem Sacri Codicis, truncea Scriptura,  
Unam Sanctam Catholicam perpetuo sibi constantem,  
inconstanti, & semper variabili doctrina metamor-  
phosæ anteposui, genuinumque verbi revelati sensum  
non in privato cujuslibet iudicio, sapius placentis suis  
inescato, sed in Consensu SS. Patrum, qui Sanctis  
Apostolis successero, ex eorundemque Sanctissimo ore

Succum

*succum veritatis ad nos Posteris, utinam non de-  
generes derivandum, suxerunt, expositionibus piã  
obedientia, in cordis simplicitate captivato sub  
obsequium fidei intellectu, investigavi. Qua-  
propter eo animo lege, ut convertaris, aut si quid  
humani salutis tue anteponis, ita contemne ne perver-  
taris. Vale, & converso vel fave, vel si favo-  
re indignum judicas, Ne sapiens apud  
temet ipsum videaris, minimè  
contemne.*



EMINENTISSIMO

AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI,

AC DOMINO DOMINO

LEOPOLDO,

S. R. I. COMITI,

à KOLONITZ

S. R. E.

CARDINALI,

ECCLESIAE CATHEDRALIS

Jaurinensis EPISCOPO, LOCIQ;

AC COMITATUS EJUSDEM SU-  
PREMO COMITI,

S. JOANNIS HIEROSOLYMITANI

ORDINIS PRIORI, COMMENDATORI E-

GRÆ ET MAYLBERGÆ, SACRÆ

CÆSARÆ REGIÆQUE MAJE-

STATIS INTIMO CONSI-

LIARIO. &c.

DOMINO, DOMINO SUO COLENDISSIMO.





## Dedicatio.



Uemadmodum neminem tam Atheum in  
Christianismo vivere putem, qui nullâ  
aterne salutis curâ teneatur; ita ne u-  
num vel ex Judais Judæum vel ex E-  
thnicis Ethnicum vel sectarium ex seclarijs, qui in  
sua se Religione salvatum iri non statuat. Quod  
cum non sit possibile, admittentibus universis moderni sæ-  
culi Sectis, & unam tantum, sicut unum in Cœlis  
Deum, in terris Ecclesiam esse, in qua salvari,  
unam fidem per quam salvari oporteat, firmiter cre-  
damus, tantò ardentiori zelo inquirenda est illa UNA,  
quò plures Ecclesias in terris nominari, plures FIDES  
jactari ingemiscimus. Quenam illa? NB. Non o-  
mnes, quia UNA est. Quæ igitur? Illa sine dubio,  
quam singuli Novatorum in symbolo Apostolico profi-  
tentur: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.  
Et in Nicano: Et unam Sanctam Catholicam  
& Apostolicam Ecclesiam. Ad hanc igitur hor-  
rore interitûs aterni, & amore salutis inter nau-  
fragos Conscientia mee fluctus, post quesitam alibi a-  
nima quietem more Columbe diluviana confugiendi,

aperi

*aperi gratia fenestellam, letam quiescentium brevi  
in Hungaria fluctuum prænunciam Olivam Con-  
fessionem videlicet Catholicæ Ecclesiæ devotif-  
simè presentanti. Suscipe illam & Confessorem gra-  
tiosè, & quem in tam fluctuoso tot Religionum Pelago  
Naufragum miseratus es, eum Portum salutis cum  
Catholico Cœlesmate & oliva hac verè Evangelica  
pulsantem gratiosè admitte, protege ac defende. Vi-  
deat.*

**E. & R. D. V.**

**Devotissimum clientem,**

**NICOLAUM THAMASSI,**

**aliter FABRI,**

P R O E M I U M  
 DE QUADRUPplici CONVERSIO-  
 NIS SECTARIORUM OBSTACULO.

*Pro quadruplici hominum genere quadru-  
 plex obstaculum.*

**P**rimum Genus simplicis Popelli. Qui le-  
 ctionis ignarus primas primi auditûs im-  
 pressionibus ita tenet, ut nulla vi excuti  
 sibi illas patiatur. Hi autoritate informantium  
 innixi in ea, quâ nati sunt religione emo-  
 ri præoptant.

Secundum. Communis vulgi. Quod le-  
 ctionis gnarum tam ex obvijs Libellis, Postillis,  
 quâ informatione docentium illis inhæret, quæ  
 recenti impressa sunt memoriæ: Et hi fidem  
 suam vel Authoritate Docentium vel opinione  
 congruentiæ cum scriptura stabiliunt, in qua si-  
 quid opinioni suæ contrarium legerint, non ut  
 præconceptam opinionem excutiant, sed quid  
 in contrarium excipiant comminiscuntur,  
 solâ ad ultimum Authoritate Informantis sub-  
 nixi. E. G. Spiritus Anabaptisticus ex Act. 4.  
 Communionem Bonorum concludit, quam  
 quia suus Doctor Interpres ita concludit,  
 nititur ejusdem autoritate, & opinione rectè  
 intel-

intellectæ scripturæ. Calvinus pariformiter ex Rom. 9. absolutum decretum elicit; Lutheranus ex Rom. 3. Solam exscrutatur fidem. Qui licet quid in contrarium legant, malunt vel pro Apocryphis habere, vel interpretationem à Docente suo petere, quàm Interpretationi antiquæ SS. Patrum, & Conciliorum securè acquiescere. O quantò securius audire Ecclesiam. *Columnam & firmamentum veritatis & interrogare de semitis antiquis, & quæ sit via bona, & ambulare in ea, & invenire requiem animæ suæ!*

Tertiam. Sunt Eruditiores, qui tametsi multa Catholicæ Ecclesiæ dogmata non impro-  
bent E. G. Auricularem Confessionem Balch. Mentzerus in Exeg. Aug. Confess. triplici ex causa commendat, quo lectorem dirigo, quam tamen Hungarici Prædicantes uti acuratiores Ecclesiæ præ Saxonibus Reformatores, proscribunt: alij ut Confessionistæ in Epilogo Aug. Conf. se nihil ab Ecclesia Catholica diversum sentire, vel, ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est, sed diffensionem tantum de quibusdam abusibus esse, publicè coram Glorioso Imperatore Carolo V, & Imperij Proceribus confessi sunt (utinam ingenuè & sine fuco) Et tamen ita hos carnalis cupiditas, & persvasa Evangelica  
liber

libertas excœcavit, ut etiam admissa salutis remedia respuant, liberiore vita inescati, excussâq; continentia Sacerdotum, Confessionis licet in conscientia approbatæ, Jejunij, abstinentiæ & aliarum Christianarum Legum onere. in eo Cœno hæreant, in quod illos odium Catholicorum vel indomita præcipitavit voluptas.

Quartum denique sunt Doctores (quanquam & hi in varias distingui possint classes, cum utraque præcipua Secta suos habeat) Thologiæ, Lingvarum orientalium Antiquitarum, & Veteris Ecclesiæ notitiâ clarissimi. Quorum nemo est, qui mortem potius subire, quàm se in hoc, vel in illo Articulo, ex eadem scriptura, ex eadem Lingvarum notitia, iisdem Interpretationis regulis, adhibitis ardentibus etiam cum Vittakero præmissis precibus pravam venatum esse interpretationem fateatur. Hinc tot Commentarijs inter se confligentibus de vero sensu, & è diametro dissidentibus obrutas eorum Sectas videmus, ut mirum sit aliquem in manifestum non corruisse Atheismum. Hinc nata tot dissidia, bella, cædes tot Populorum. Hinc ex parturientibus tot Commentariorum montibus natus ille ridiculus mus: Quemlibet in sua religione salvari.

Hi tametsi manifestè palpent suam se ex sacris literis causam tueri non posse, opinione

tamen veritatis turgidi, odio Papæ, & Catholicorum inflammari, tincto Sanctitatis glaucomate ne victi, confusique videantur, pingviores proventus deserere cogantur, quibus possunt ingenij viribus contra Catholicos luctantur, & quos veritate nequeunt, calumnijs invadunt. Inde tot è Scholarum & Templorum Cathedris de Idololatria Catholicorum, de honore Christo negato, aut cum Sanctis partito, de conculcatione Meriti Christi JESU, de cultibus superstitiosis, declamationes.

Hi de instabilitate sensus convicti, non ut Orbis Consensum Sancta Conciliorum Decreta, ad *Unitatem sensus, & sententia* cum Sancto Paulo ad Eph. 4, invitantia exosculentur, sed ut Concilia Censuræ suæ subjaceant, nullum Græcum, nullum Hebræum, vel nescio quem Barbarum prætereunt, quem in subsidium Causæ, & infallibilitatis suæ non sollicitent, non quis debeat esse, sed quis possit, dicti **Controversi sensus, solliciti.**

Contra quòd Genus hominum veritate, Antiquitate, Conciliorum autoritate frustra contendes, cum Patres errasse, Concilia erroribus obnoxia esse, Ecclesiam statim à temporibus Apostolorum, vel paulò post, vel à sæculo sexto, vel à 15. (nam nec in hac calumnia consentiunt semper inter se dissoni) defecisse,  
nihil

nihil veritatis retinuisse perorant, absconditam se, & in visceribus terræ defossam veritatem exscrutatos esse, melius Augustinis, Cyprianis & alijs gloriosis veritatis Testibus intelligere.

Testem hic appello Mundi Redemptorem Judicem vivorum & mortuorum, quomodo declamationibus istis, mendacium Apostolo Gentium non intrudant ad Eph. 4. loquenti: *Dedit ei (Ecclesiæ) Deus usq; ad consumationem Sanctorum in opus Ministerij Pastores atq; Doctores in edificationem Corporis Christi, ne circumferretur omni vento doctrina, & cui Joann. 14. promissit: Spiritum veritatis in aeternum? Ecce Veritatem Evangelicam!*

Ecclesia nempe ita juxta eos intercidit per hæresin, ut nemo Pastorum in Ecclesijs, nemo Doctorum in Scholis auditus tanto intervallo temporum fuit, qui integram atque ab omni expurgatam hæresi doctrinam tradiderit. Ita-ne verò? Omnes sinceri Doctores instante, atque ad mundi finem perstitura, contra etiam inferni portas, Ecclesiâ obmutuerunt: soli tantum seductores auditi sunt? Quomodo Corpus Christi, quod est Ecclesia edificari potuit, si nullus operarius manus adhibuit? Quomodo caveri, *ne circumferretur hæc navis omni vento doctrina.* Si nullus in ea Navarchus clavum tenuit? Quomodo Spiritus in ea Veritatis si

nullum vitale argumentum? An hoc est *ad consumationem Sanctorum*, & *in aeternum* persistere, tam subito nullo relicto vitæ indicio expirare? ô præstigiatas mentes! ô pectora cæca!

Et sic nunquam potius credere, quàm iudicia sua venerandis Concilijs submittere decreverunt: turpiter potius perire, quàm cum magno Christianitatis incremento, pacis & boni publici emolumento, Turcarum & quorumlibet hostium Christianitatis terrore, gloriosè Salvari. Quos cum tam firma veritas expugnare nequeat, dolebo, sufficere ratus fauciasse conscientiam, propriæque saluti intentus pergam ad optatam Conscientiæ meæ Quietem, quam coram SS. Trinitate, Sanctis Angelis & Electis Dei, & mundo universo confiteor & quidem post.

*Fluctum. I.*

**A**byssus hæc fuit Conscientiæ: Quod cum universi ad claram & lucidam Scripturam provocent, neminemque in controversijs Fidei præter Spiritum Sanctum in eadem loquentem audire, se fateantur (rectè quidem cæteris paribus, cum ultimum motivum formale fidei Divinæ sit revelatio Di-  
vina,



vina, & in formali suo nihil admittat humani) Jam scrutabar Calvinusne vel Lutherus ipsum audiat Spiritum Sanctum loquentem. Etenim si nulla unquam præter Lutheranam in mundo fuisset Secta probabilius Catholicis opponi videretur, nunc cum singulis fere sæculis aliæ eademque inter se Discordes exortæ essent, in oppugnatione tamen illius UNIUS concordēs, stipes sit, ut non advertat unam veritatem à tot erroribus oppugnari. Nempe sapientia illa æterna, quæ pro clementia sua metitur universa, non voluit una Secta UNAM suam Ecclesiam oppugnari, ut manifestum redderet quo nam in dissidijs Religionis confugiendum, ubi pax Conscientiæ & quies animæ invenienda.

Sed ut ad meritum redeam: Utraque moderna, cum qua præcipuè Catholicis negotium est, mentem & sententiam Sacratissimi Spiritus pro se usurpat E. G. Si hæc Propositio: *Hoc est Corpus meum* intelligenda sit *in, cum, & sub* pane, falso Calvinus gloriatur se potius mentem Salvatoris penetrâsse, intelligendo sic: *hoc est Corpus meum*, id est hoc significat corpus meum. Si autem hæc Calvini vera, falsa prior, cum utramq; veram impossibile sit, Ubi in tanta Abyssu requiem invenissem. Recurri ad Loca Paralella. Facit idem Calvinus. Et cum  
non

non obstante hoc recurſu certò mihi preſvaſi Calvinum in hac expoſitione errare; quâ auctoritate me non errare credam?

Suggeſſit mihi Dietericus: juxta adhibita legitimæ bonæ Interpretationis Media certus eſſe potes de hoc, & non alio ſcripturæ ſenſu: Calvinus tamen idem dicit, nemine ab extrinſeco definiente, & convincente.

Suggeſtum eſt: Aſt certus eſſe debes interno Spiritûs Sancti Teſtimoniò Conſcientiam convincente. Excubiſt Anabaptiſta eodem fulcitus Spiritu.

Dices: ſed ille non ideo verè credit, quia dicit. Sed quis quæſo eandem Calvino excutiet mentem ut non idem dicat?

Dices porro: Doctores mei Lingvarum Originalium peritiſſimi ita interpretantur, falli, vel fallere igitur non poſſunt. Sed quæro, unde didiciſti eos eſſe infallibiles, cum omnes plenis Cathedris non tantùm Doctores, ſed & Eccleſiam errare poſſe, declamemus? Vides itaq; quod tuam fidem in mera duntaxat opinione, & interpretatione, quæ fallere poteſt, ſuffulcias.

Dices: non errant Interpretes, donec ſequantur ductum Spiritûs Sancti. R. Tamen hoc in quæſtione eſt, utrum ſequantur; & ſic quod in controverſia eſt, hoc ponis pro medio termino, ſemper ijsdem fluctibus abſorbendus.

Inte-

Infero itaq; quidquid non constat ex revelati-  
 one Divina, illud fide Divina credendum non  
 est. Atq; te affecutum esse mentem Spiritus  
 Sancti, non constat ex revelatione Divina. E.  
 Major tua. Minor: ubi quaeso revelatum est Cal-  
 vinum, vel Lutherum Sacrarium Spiritus Do-  
 mini penetrasse.

Dices: novi enim ingenia. Argumentum est  
 ex puris negativis. R. Omnino, cum videas  
 te mergi, obvium quidquid rapies potius, quam  
 ad portum, absorbendus refluxes. Jam pono in  
 hac forma: Omne objectum fidei Divinae est  
 revelatum in Scriptura. Sed te potius quam  
 Calvinum intentum Spiritus Sancti. Sen-  
 sum affecutum, non est revelatum in Scri-  
 ptura. E. Vides itaque quod sola persua-  
 sione tui judicij opinaris, tuam potius quam  
 alterius interpretationem cum scriptura con-  
 venire.

Ita videlicet ut credulum vulgus de veritate  
 ex Sacris Literis hausta facilius teneatis, hanc  
 artem charissimi antea Fidei Consortes, com-  
 menti estis: Quod videlicet ad originarias Lin-  
 gvas provocatis. Igitur soli illi vos, qui e-  
 stis Lingvas illas, mentem Domini assequimini?  
 Soli igitur tanquam Supremi Judices Thronum  
 Coelestis veritatis, simplicioribus adorandum

occupastis, universa propria ex sententia judi-  
caturi, a nemine judicandi?

Taceo hic Calvinum eadem Larvâ indutû.  
Quæro tamen à meis. Aut volunt ut inter-  
pretationi suæ tanquam infallibili regulæ, &  
dilerto Dei verbo assentiamur Aut, concedunt  
se quoque errare posse? Si prius?

Concedunt igitur dari debere in Ecclesia in-  
fallibiles Interpretes, NB quorum Expositio-  
ni tanquam Dei verbo expresso extra errandi  
periculum insistendum sit. Quærendi igitur  
tales erunt ne universi *jactemur omni vento do-*  
*ctrina.* Quod tamen nemo Lutheranorum un-  
quam concessit, omnes enim erroris doctores  
obnoxios esse ultro concedunt, nisi consenti-  
ant cum scriptura. Ecce refluit fluctus, qui erat  
in quæstione.

Si posterius admittent, quòd videlicet Lin-  
gvarum originariarum notitiâ excellentes in  
expositione Scripturæ falli possunt ut homines:  
Itaque non modo multitudinem vobis creden-  
tium in negotio salutis circumvenitis charissi-  
mi Clarissimi; sed etiam vosmetipsos fallitis, qui  
vobis firmissimè persuasum habetis, ipsa vos  
verba Dei, eorumque sensum fide Divinâ com-  
plexos esse, dum simul conceditis falli vos  
potuisse ideoque, duo Contradictoria in eodem  
Fidei Articulo è scriptura hausto creditis: falli  
pos-

possum, & falli non possum. Illud ut homo,  
hoc ut nixus verbo Dei: Nam nixite verbo  
Dei credis, & in eodem, *utrum nixaris eodem  
verbo Dei, falli potes.* Videte sanguine JESU  
redempti, in quos fluctus vosmet præcipita-  
stis, cum ex Arca Noë evolastis. Autorita-  
tem Ecclesiæ Catholicæ, quæ est *Columna  
& firmamentum veritatis*, cui Deus promisit  
*Spiritum veritatis in æternum*, de quo infra, ita  
superbè conculcastis.

Hic evigila Status Acatholice Hungarice &  
quantum vos circumveniant fallibiles isti & si-  
mul infallibiles verbi Divini Pastores perspicite,  
ne in *reprobam sensum* per eoldem traditi jactu-  
ram animæ subeatis. Tacebo quòd gladios  
pro iisdem eorumque Culinis & Pastricibus  
evibraveritis, pro Gloriaque Dei (Calvino &  
Luthero videlicet) Regnum Hungariæ Apo-  
stolicum multorum cæde cruentastis, sangui-  
ne inebriastis. Quæro: pugnare pro hæresi sic  
ne pugnare pro Dei gloria? Et pugnare pro Cal-  
vino sic ne pugnare pro hæresi? Nolo so-  
mari prudenti Consequentiam, satis est speciosum Ti-  
tulum iniquissimæ causæ prætulisse. Considera  
si quod in te Salutis æternæ desiderium, o æ-  
ternum vel Salvande vel dampnande prudens  
Acatholicus!

Quies Catholica.

**C**atholicus verò 1. Cùm infallibilem Ecclesie Autoritatem, ob Spiritus Sancti assistentiam ex Christi promissione agnoscit, quam tanquam *Columnam & firmamentum veritatis*. 1. Thim. 3. *Civitatem supra montem positam* Matt. 5. devotè veneratur auditq; *Custodes ejus die & nocte perpetuum audiendos* Es. 62. admittit vocem Ecclesie & Doctorum ejus ac etiam summi Pontificis sententiam definitivam, quâ ad scripturas collata, autoritate Dei verbi impulsus propositæ sententiæ assentitur, idque, assensu infallibili, quia Divina veritas fallere non potest, innixus claræ & definitivæ Sancti Pauli hac in materia sententiæ: *Dedit ei (Ecclesie) Deus usq; ad consumationem Sanctorum in opus Ministerij Pastores & Doctores in edificationem Corporis Christi ne circumferretur omni vento doctrine*: Si verò Navatores tales habent, cur tot reciprocis tempestatibus jactantur?

2. Si verò Scriptura à diversis Partibus diverso in sensu sententiaque proponitur, non illa temeritate Catholicus, qua Acatholicus hoc in negotio solet, progreditur, nec illum sensum deligit, quem privato ipse iudicio solum esse certum verumque statuit idque pretextu

Divi-

Ep. h.  
4. 19

Divini Spiritûs sibi clarissimè ex Scripturis lo-  
quentis; sed iisdem credibilitatis argumentis  
quibus inductus Scripturam verbum Dei esse  
admittit, etiam hunc, quem sequitur scriptu-  
ræ sensum pro quovis alio sibi acceptandum  
sequendumque esse agnoscit. Neque enim  
Traditionem Majorum & Parentum hac in re  
instructionem, quam & illi à suis accepere Pro-  
avis, neque Doctorum ante nos scripta ac testi-  
monia, neque veterum Patrum consensum,  
ad quos à primo fonte Israëlítico per limpi-  
dissimos euripos derivata est veritas, neque co-  
tius denique Ecclesiæ autoritatem minoris in  
tradendo scripturæ sensu, quam ipsa exhibenda,  
æstimandum judicat. *Non præterit narrationem  
Seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quo-  
niam ab ipsis discunt intellectum. Eccl. 8.*

3. In Scriptura controversa Affectus & In-  
tellectus rectè judicantis favere Spiritui potius  
debet, quàm Carni, eò quod *Animalis homo non  
percipit illa, quæ sunt Spiritûs Domini.* Jam uni-  
versis ( si odium Catholicorum deponere &  
solam in Conscientia veritatem admittere veli-  
tis ) judicandum subijcio : Ultra pars magis  
carni addicta sit? Ultra magis carni faveat? Illa  
ne quæ libertate ac judicio constituit ac defi-  
nit omnia? An verò quæ sub imperium Eccle-  
siæ judiciumque, tuum submittit judicium

+ postquam semel ex Sacris Literis intallibilem  
 ejus auctoritatem agnovit? Nonne magis car-  
 nem sapiat: satis esse ad pœnitentiam credere  
 sibi propter Christum remissa esse peccata, &  
 cum Luthero Tom. 2. Vitt. statuere: quod ho-  
 mo Christianus etiam volens non possit per-  
 dere salutem quantiscunque peccatis, nisi nolit  
 credere? quàm exigere ut peccata singulatim  
 cum adjunctis gravantibus quantum vis enor-  
 mia & pudenda sint Sacerdoti exponantur?  
 Nonne blandius est Pastoribus præcipere rem  
 uxoriam ut solliciti sint, quæ sunt mundi? An  
 verò ut sint continentes etiam inter stimulos  
 carnis, ac Paulo sint similes & eurent sine u-  
 xore ea, quæ Dei sunt? Nonne optabilius car-  
 ni, quod quantumvis sint aliqui contaminati  
 sceleribus, modo tantùm fidant, statim evolare  
 ad Cœlos, an verò alijs in verbo Sancto præ-  
 scriptis jejunijs, eleemosynis, orationibus, car-  
 nis castigationibus &c. maculas expiare? ut  
 nihil coinquinati Regnum Dei subintret? &c.

*Ex Fluctu 2.*

**I**N primo Aug. Conf. Articulo docent: De-  
 cretum Nicænæ Synodi de unitate Essentiæ  
 divinæ & tribus Personis verum & sine ulla  
 dubitatione credendum esse. Cum tamen De-  
 cre-



cretum hoc nullibi in scriptura iisdem verbis proponitur? si igitur Concilia errare possunt cur submitunt se illis citra errandi periculum? Dices: 1. Joh. 5. tres sunt qui testimonium per habent in Coelo &c. & hi tres unum sunt. Sed unde scis qua unitate, an amoris & voluntatis, an verò essentiae? cum recurret Arianus ad Christum Joan. 17. dicentem: ut *unum sint, sicut & nos unum sumus.* Ecce unitas Amoris. Si verò in hoc admittunt Sententiam definitivam Concilij, ubi Scriptura nihil definit, cur alia superba pietate erroris condemnant?

N. >  
X. II.  
20

*Quies Catholica.*

**R**ecte igitur Catholicus in sensu Scripturae Controverso definitivam Conciliorum & summi Pontificis sententiam obsequiosè admittit, & in illa extra errandi periculum obedienter acquiescit.

*Fluctus 3.*

**V**ariatio A. C. per Philippum in Articulo Justificationis non parvos excitavit fluctus. Si enim Prototypi, ad quem Mentzerus in Apologia rectè suo modo provocat, literalis sensui, ut verba sonant, sine

commentarijs & tortuosis expositionibus inni-  
 raris, bone Deus quàm portentosam invenies  
 justificationem! Illam nempe, de qua Luthe-  
 rus Tom. 1. Epist. ad Philippum f. 334. Ego  
 inquit *qui fervere Spiritu debeo, ferveo carne, libi-  
 dine, pigritiâ, otio, somnolentiâ &c. & f. 345.*  
 Sufficit quòd agnovimus divitias gloriæ Dei,  
 qui tollit peccata mundi. *Ab hoc nos non avellet  
 peccatum etiamsi millies uno die fornicemur aut oc-  
 cidamus.* Et rectè, dicit enim Confessio, quòd  
*homines justificentur gratis propter fidem per Chri-  
 stum (hucusque rectè cum Catholicis) cum in-  
 quit Credunt se in gratiam recipi & peccata remitti  
 propter Christum.* Si enim justificare est: credere  
 se in gratiam recipi. Jam omnis fornicator, ho-  
 micida, vel nescio quod orci mancipium justus  
 erit cum Luthero, si credat se in gratiam re-  
 cipi propter Christum. Formale enim justi-  
 ficationis erit: *Credere se recipi in gratiam propter  
 Christum.*

Arguo itaq; Quicumq; credit se recipi in gra-  
 tiam propter Christum ille est justificatus. Atq;  
 hodiernus fur vel adulter credit E. Minor.  
 Quia fides illa invitat eum ad poenitentiam,  
 si enim non crederet Deum sibi propitium fore  
 per & propter Christum, non quæreret alia me-  
 dia salutis, vel si quærir, non sufficit credere  
 se in gratiam recipi, sed ad cætera quoque sa-  
 lutis

lutis remedia confugit. Quemadmodum Ni-  
nivitarum Jonæ 3. ante poenitentiam crediderunt  
in Deum, & ideo predicaverunt jejunium & vesti-  
ti sunt saccis qui locus adhuc in scholis move-  
bat conscientiam.

Dices: sed illa fides debet esse conjuncta cum  
bonis operibus. Rectè. Igitur sine illis non ju-  
stificabit. Hinc inter vos carissimi Clarissimi orti  
fluus, quibus Doctores etiam abrepti: utrum  
videlicet bona opera possint dici necessaria ad  
salutem, de quo brevitatis causâ vid. Calovi-  
um in appendice ad C. X. Metap. Divinæ.

Distingves inter præsentiam & efficientiam  
(ita oblii claræ scripturæ luditis in fundamen-  
to Christianismi) Quæro? possunt ne abesse?  
Dices: non, quia esset mortua. Dant itaque  
vitam fidei præsentia? Quomodo igitur dant  
vitam cum nequeant vivificare? quomodo per  
solam animam vivit homo, & tamen anima li-  
cet sit præsens, non efficit vitam? Quomodo  
solus Imperator Rom. vicit Turcam, si mili-  
tes præsentis nihil operari sunt otiosi spectato-  
res? Quàm præstaret audire Sanctum Paulum  
in obvio sensu: *In Christo Jesus neq; circumcisionem  
aliquid valere, neq; præputium, sed fidem, qua per  
charitatem operatur Gal. 5.* Quàm salutariùs cum  
nihil certi definitum habeatis, teste variata con-  
fessione, Majoristis, Latermanno & alijs Re-  
tor-

formatoribus dissonis, solidi quidpiam in tanto salutis fundamento statuere, *ne circumferremini omni vento Doctrinae*, aut si statuere nequivistis, Venerabili Concilio fluctuosas submittere opiniones, quàm cum tantorum hominum cæde, scandalo Turcico, Regionum desolatione optimos Principes ad Arma concitare? declarastis, videlicet, *cujus Spiritûs sitis.*

*Quies Catholica.*

**C**REDIT igitur Catholicus & ego cum illo: *Quod timor Domini fons sit vite Prov. 14. & quòd sit initium sapientia Eccl. 1. quòd charitas operiat multitudinem peccatorum 1. Pet. 4. Credit & credo, quòd de morte translati sumus ad vitam quoniam diligimus fratres, qui enim non diligit Fratrem manet in morte 1. Joan. 3. quòd fides omnis sine charitate non proficit 1. Cor. 13. Credimus quoniam ex operibus justificatur homo & non ex fide tantum Jacob. 2.*

Dices: *Jacobus loquitur de justificatione coram hominibus &c. Sed fluctus iste adhuc in Scholis verberavit, conscientiam, Nonne dicit, quòd non ex fide tantum? nisi dicas ineptè, quòd etiam coram hominibus justificeris ex fide? ô vanitatem! Credo inquam cum venerabili Tridentino Concilio Sess. 2. Cap. 6. ex*  
Sa-

Sacris Literis dicente: Disponuntur autem (peccatores) ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, *fidem ex auditu concipientes* Rom. 10. liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud imprimis: A Deo *justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem qua est in Christo JESU* Rom. 3. & dum peccatores se intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt &c. De hac dispositione scriptum est: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit* Heb, 11. & *confide fili remittuntur tibi peccata tua* Marc. 2. & *timor Domini expellit peccatum*, Eccl. 1.

Ipsid. C. 7. Præparationem justificatio consequitur: Efficiens illius causa est misericors Deus, qui gratuito abluit 1. Cor. 6. & sanctificat *signans ac ungens nos Spiritu promissionis Sancto* Tit. 3. Eph. 1. qui est *pignus hereditatis nostræ*. Meritoria causa dilectissimus unigenitus suus D. N. I. C. qui cùm inimici essemus Eph. 2. propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificatio-

tio-

tionem meruit, & pro nobis Patri satisfecit Rom. 4. & 5. Formalis causa est iustitia Dei, non quâ ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit & Sanctissimo passionis merito per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum Rom. 5. qui iustificantur. Nam fides, nisi ad eam accedat Spes & Charitas neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit, qua ratione verissimè dicitur: fidem sine operibus mortuam. Jacob. 2.

Item, C. 8. Cùm verò Apostolus dicit: *Justificari hominem per fidem & gratis*, eo verba in sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesie Catholice consensus tenuit, & expressit; ut scilicet *per fidem* ideò justificari dicamur quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo. Heb. 11. & ad consortium filiorum ejus pervenire. *Gratis* autem ideò justificari dicimur, quòd nihil eorum, quæ justificationem præcedant, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promerentur: Si enim *gratia*, jam non ex operibus alioquin *gratia*, jam non est gratia Rom. 11. Eph. 2.

Tit. 3. Ecce fidem, ecce tranquillitatem Catholicam.

Fluctus 4. circa Fidem.

**E**T in hoc mergebatur conscientia. Spiritus etenim S. in Scriptura loquens, nullo in loco fidei essentiam quam ad Heb. 11. describit dicens: *Quod fides sit sperandarum rerum substantia ( fundamentum ὑπόστασις ) argumentum non apparentium h. est, quod ea quæ non intelligit & non videt, facit sibi præsentia, & assentitur ijs, hoc solo ex fundamento, quia Deus per Prophetas, Evangelistas & Apostolos revelavit & nobis Ecclesia credenda proposuit, expressa enim sunt verba Sancti Pauli Fide inquit intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus fierent visibilia. &c. Et sine hac fide impossibile est placere Deo. Ideo accedentem ad Deum oportet credere. Quid credere? omnia, quæ proponuntur ex verbo Dei, quæ nos nunquam vidimus neque intelligimus. Pone exemplum: Noë inquit accepto response de ijs quæ adhuc non videbantur metuens, aptavit Arcam in salutem Domûs sue Item Abraham fide obtulit Isaacum, cum tentaretur, arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus. Et hæc fides imputata est ei ad iustitiam Rom. 4. quâ credidit in spe contra spem, hoc est speravit benedictionem in semine, quia habuit prolem, sed cum eam Deus*

offer-

offere juberet, contra hanc spem speravit, eam vel à mortuis suscitandam vel ex lapidibus. creandam. Sed Aug. Confess. Sancto Paulo veracior aliam profitetur fidem nempe: *fiduciam misericordiae promissae propter Christum, quam misericordiam oporteat accipi fide.*

Hæsitabat Conscientia. 1. Cùm nullam noverit scriptura Sacra *Fidem præter vivam cum operibus, & mortuam sine operibus; quomodo & ex qua Scriptura distingvant fidem in Historicam, quâ credimus quidquid revelatum est in Sacris Literis & Salvificam, quâ credimus promissionibus de remissione peccatorum.* Credere igitur SS. Trinitatem, Christum natum, passum, &c. prouti est objectum saltem fidei Historicæ, non erit credendum salvificè. Frustra itaq; damnatus Arius siquidem non erravit circa substantiam fidei salvificæ.

Hæsitabat 2. non retinuisse verba S. Pauli in definitione fidei, cùm præsertim tam clarè & tot exemplis substantiam fidei definiat, docentque Confessionistæ omnia ad salutem necessaria clarissimis proponi verbis in Scriptura. Quod licet certum sit sensu Catholico. Sed cùm lucem verbi Dei irretortis oculis intueri nequeant, opinionibus præconceptis noctuæ istæ cœcutire malunt, quam ambulare in luce.

Flu.



Fluctuabat itaque Conscientia. 1. quod sola fide justificari dicat. Jam autem Paulina fide id non posse ita certum est, prout illam nusquam per fiduciam misericordiae promissae hic loci definiat.

2. Fluctuabat quod in tanto salutis nervo, ita obscure confiteatur. Dicit enim fidem esse fiduciam misericordiae promissae, quam misericordiam oporteat accipi fide id est: fidem accipiendam fide.

Aut igitur fides iustifica idem est formaliter quod fiducia? Aut diversum? Prius E. 1. ineptè idem per idem definiatur, quod facit Dieterius cum Mentzero, & ex his omnes dicentes: fides est fiducia E. 2. Fides iustifica seu fiducia nihil habebit pro objecto præter promissionem misericordiae per Christum. Nam arguo: Aut promissio misericordiae sive remissio peccatorum propter Christum est adæquatum objectum fidei iustificæ? Aut non! Prius? E. Articuli de SS. Trinitate de incarnatione, passione, resurrectione Christi, iudicio extremo, vita & morte æterna non erunt objectum fidei salvificæ, non erunt creditu necessaria, tanquam objectum adæquatum non ingrediëntia? O fidem sine fide! O horridam fidem! Si verò non est objectum adæquatum? E. Sive quis credat remitti sibi peccata propter Christum nondum habet totam fidem salvificam, nondum est justificatus, nondum salvandus.

Si

Heb. 10.  
N. 23.

*Justitia*

✠ 24 ✠

Si verò fides & fiducia sunt diversum: E. 1. fides Paulina tam Rom. 4. quàm Heb. 11. quam illustrat tot exemplis illustribus, & quæ Abrahamo inputata est ad justitiam non erit Salvifica, ex eo, quia non est fiducia E. 2. præstaret distingvere cum Sancto Paulo fidem à fiducia ad Eph. 3. ubi fidem dicit esse ducem ad fiduciam dicens: habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus. h. e. cum credimus Deum, quæ promisit, omnia & posse & velle facere, habemus accessum in confidentia. Aliud igitur dux, aliud terminus, fides dux, fiducia terminus. Dices? Ergone misericordia divina non erit objectum fidei salvificæ. R. Ut cum Catholicis fiduciam in divinæ misericordiæ contemplatione lubens admitto, sic timorem in Divinæ justitiæ consideratione non excludo, neque credere sibi remitti propter Christum peccata sufficere ad justificationem in subsequenti quiete confiteor.

*Quies Catholica.*

**C**redo cum Sancta Ecclesia Catholica: fidem esse fundamentum rerum sperandarum argumentum non apparentium, Heb. 11. quâ ducimur ad cognitionem illorum, quæ nobis non apparent. Qualem-  
cunq;

cunq; tamen de Christo ad Salutem sufficere nego, eò quòd & dæmonia credant, & cõtremscunt Jac. 2. Et S. Paulus omnem fidem sinè charitate nihil esse dicat, 1. Cor. 13. & S. Jacobus mortuam esse asserat. Jac. 2 Meritò itaque damnant Catholici qui sola hac fide ab Apostolo definita hominem salvari tradunt.

Item credo, firmum deberè esse credentis in fide animum ut nulla hæsitet diffidentia Rom. 4. 20. Timorem tamen, ne quis deficiens à fide, in qua stat labatur, & propter incredulitatem pereat, non excludi Rom. 11, 20.

Credo Judæum & infidelem quemvis justificari *gratis* ex gratia & redemptione Jesu Christi, *per fidem sine operibus legi*, cum Dei donum sit non ex operibus nostris, ne gloriemur. Imò nec peccatorem quemvis, nisi gratia per *fidem* & sanguinem Jesu Christi remissionem peccatorum consequi, tum quia hæc salutis nostræ fundamentum est, tum quia opera justificationem de condigno non mérentur; *nam si ex gratia, jam non ex operibus.* Rom. 11.

Credo etiam simul, justum hominem, non ex fide tantum, sed operibus quoque justificari, eo quòd *factores legis justificentur.* Rom. 2. & qui justus est *justificari amplius jubeatur* Apoc. 22. ut Abrahamo accidit, qui justificatus

C

catus

catus *ex operibus* filium Isaac offerens. Jac. 2.  
Ita enim Deus *auget incrementa frugum justitiæ*  
nostræ ut magis locupletati abundemus in vir-  
tute 2. Cor. 9. v. 10.

Credo justificari hominem per *fidem*, quæ  
per charitatem operatur Gal. 5. v. 6. & quæ sine  
charitate nihil est 1, Cor. 13. Scimus enim  
quoniam translati sumus de morte ad vitam  
*quia diligimus*, 1. Job, 3. uti Magdalenæ re-  
missa sunt peccata multa, *quia dilexit multum*  
Luc. 7.

Credo Deum delere peccata nostra ut nu-  
bes a puro aufertur aëre, Christumq; per san-  
ctificationem, suæ passionis meritis ita tollere  
illa, ut, sublata peccatorum macula *sancta &*  
*immaculata* anima appareat. Unde licet con-  
cupiscentia, quæ parere peccatum possit in  
nobis habitet, verè tamen peccata non tegun-  
tur tantum meritis Christi, sed & remittuntur,  
quod lux cum tenebris, justitia cum iniqui-  
tate, Christus & Belial simul nequeant con-  
sistere.

*Fluctus 5. De Imputata Justitia.*

**M**ira justificatio per obvelationem pec-  
catorum à justitia Christi intrinseca  
per fidem apprehensa, ita mergebat  
conscientiam, ut si tutiorem anchoram non  
osten-

ostendisset Catholica Ecclesia, absorbenda fuisset. Formale enim justificationis: non imputatio peccatorum & imputatio justitiæ Christi, infert, ut licet sit ille peccator, tantum credat sibi remissa peccata, jam ille per justitiam Christi est justus, jam æthyops est albus, quod sit coopertus candida veste, jam finus est purgatus sub alba nive, ulcus sanatum emplastro tectum, helluo, adulter, fur ablutus à sordibus, modo credat se abluendum & putet puritatem JESU Christi suam esse. O monstrosam justificationem! ubi de hac clara Scripturæ sacræ & definitiva sententia? Cur non potius: *Sicut per inobedientiam Adami injusti: ita per obedientiam Christi justii Constituti sunt multi?* Ecce quanta Lux Scripturæ! Igitur sicut injustitia Adami est nobis intrinseca, sic justitiam, quâ justii esse debemus, intrinsecam, non extrinsecam esse oportet! Et quomodo possumus regenerari (ita Massenius in *Medit. Concord.*) & renovari per effusum in nos Spiritum, sine intrinseca illius receptione & immutatione? an potest quicquam regenerari sine novæ formæ in eodem productione?

Suggeres: Atqui dicitur, Christum esse nostram justitiam, Sanctificationem, redemptionem & propitiationem. R. Omnino, sed non imputatione; verû efficienter per effusionem sanguinis sui illi

*redemptionem nostram*, per quam emundat nos à peccato, & abundantiam gratia & iustitia nobis donat. Et quomodo emundat si tantum legitur quomodo sanctificat animam ut sit *sine ruga NB.* aut *macula ulla peccatorum*, & *Sancta & immaculata* reperiatur?

Suggeres perro: allud est renovatio, aliud justificatio. Justificatio est imputatio iustitiæ Christi, renovatio verò fructus justificationis. R. 1. ubi clara desuper & definitiva Scripturæ sententia, ut credam, Deum mihi hoc, non hominem dicere? 2. vel ita sunt distincta ut unum possit esse sine altero, hoc est possit quispiam esse justus absq; renovatione, regeneratione, possit salvari licet intrinsecè maneat nequam, & non renovatus non regeneratus, tantum credat sibi remissam iniustitiam propter Christum. Quod si ita est NB. quid verius dici potuit à Luth. Tom. 2. Vitt. quòd homo Christianus non possit perdere salutem quantiscunq; peccatis, *nisi nolit credere*, nulla enim peccata possunt eum damnare nisi *Sola incredulitas*. Vides pie Lector quam limpidi ex hac doctrinæ palude rivi! Vel, si justificationem putativam necessario debeat sequi renovatio ut fructus, igitur non sufficiet *credere tantum* sed alijs medijs merita Christi applican-

da,

da, alijs, cum Ninivitis & multis poenitentibus peccata venient expianda!

Adhuc suggeres: ad Gal. 3. *Christus pro nobis peccatum factus, ut nos efficeremur justitia Dei per ipsum* Id est: nostra peccata sunt imputata Christo, & ejus justitia imputatur nobis R. 1. Ergone per hanc imputationem nostrorum peccatorum revera Christus peccator, revera sicut nos filius Diaboli? Parce Sanctissime JESU! 2. Ergo sicut filius Dei per hanc imputationem peccatorum non fuit verè peccator & intrinsecè, sed mansit intrinsecè *justus, sanctus & sine macula*: ita nos Per hanc extrinsecam ejus justitiam non possumus verè dici justis, manente in nobis intrinseca injustitia. Nimis odio Catholicorum & opinione præconcepta laborat, qui lusus hos verborum in tanto salulis nervo non abominatur,

Dices: Quomodo ergo peccatum Christo imputatur, & quomodo justitia nobis? R. Quoad debitum satisfactionis in se receptum, quia debitum satisfaciendi pro nobis in se assumpsit dulcissimus Salvator: Ita vicissim ejus justitia nobis imputatur, quo ad satisfactionem pro nobis, Deo exhibitam. Et sicut nobis propria fuit, mansitq; injustitia: ita Christo sua est manetq; propria justitia. & rursus: ut nostra injustitia non *formalis sed effectiva cau-*

sa est poenarum Christi: sic ejus justitia, non  
formalis NB. Sed effectiva causa est donorum  
gratiæ & justificationis nostræ.

Considera & rerum hæc piè Lector, &  
facile intelliges ex quo fonte nobis justitia  
Christi tanquam nostra imputari dicatur,  
nosq; à Christo gratis etiam justificemur, qui  
remissionem peccatorum, omnemq; justitiæ  
gratiam, per sanguinis illius effusionem velut cau-  
sam efficientem & meritoriam possidemus.

### *Quies Catholica.*

**F**acile ex prædictis invenit conscientia  
tranquillitatem, signanter ex citatis Ve-  
nerabilis Concilij Tridentini locis.

### *Fluctus 6. circa certitudinem salutis.*

**F**ides divina est: quâ credimus universa à  
Deo revelata vera esse, cui non potest  
subesse falsum. Et quidquid divinitus  
revelatum non est, id fide divina credi non  
debet, quidquid humana eatenus suggerat  
persvasio.

Suggestit conscientia: Quicumq; crediderit  
Salvus erit. R. I. omnino tam certum est,  
quam quid certissimum: Sed subsume: Atq;

ego



ego credo. Ubi hoc revelatum ut ingrediatur  
 objectum fidei divinæ? 2. Qualitercunque  
 credere non sufficit ut præmissum est in ante-  
 cedentibus, alioquin vacuus ab omnibus hæ-  
 reticis credere se jactantibus foret infernus. Es  
 mirum est quod Calvinos, Cvinglios Photinos  
 & alios cœlo excluditis qui similiter sola fide  
 salvari se credant, certi quæ sint de salute. Nam  
 ex quo fundamento tu illos excludis, ex  
 eodem illi te, & sic 3. timendum ne te per-  
 svasio decipiat. 4. Nihil definitum habetis quid  
 sit credendum. Nam penes Aug. Confess.  
 justificari & salvari diceris si credas tibi remissa  
*peccata propter Christum*, credere reliqua cum  
 non ingrediantur adæquatum objectum fidei  
 justificæ & salvificæ, non erunt credenda ju-  
 stificè vel salvificè, vel si credenda sunt, erit  
 saltem fides historica, quæ ut non justificat,  
 ita neque salvat.

Dices: Quidquid sit de alio, ego certus  
 sum in mea Conscientia quod credam R. 1.  
 idem dicet quicumque hæreticus 2. tua con-  
 scientia non est revelatio divina, quæ sola est  
 credendi motivum formale fidei divinæ cui  
 non possit subesse falsum, timendum proinde  
 ne te abripiant venti Enthusiastici. 3. Dato,  
 non admissio te credere sicut oportet, quis ta-  
 men revelavit tibi, te ad finem vitæ in hac fide

C 4.

persti-

perstiturum? 4. vel hac fide, quâ certo tibi peccata remissa credis talli po es, vel non? Pcius? Ergo certus non es. Posterius? Ergo non poteris nisi sola incredulitate cum Luthero damnari, quia quam diu fidem retines, etiamsi adultereris, fureris, occidas, non damnaberis, modo hac fide certo statuas remissa tibi & remittenda peccata. Quærenda igitur in hoc fluctu.

*Quies Catholica.*

**C**REDIT Catholicus & certus est fide divina cui non potest subesse falsum quidquid Divinitus revelatum est. Credit cor contritum & humiliatum Deum non despiciere, vivificari se, si avertatur à peccato & si Sacerdos peccata dimiserit, dimissa esse. Sed an rectè contritus sit & à peccato averfus, & tamen si averfus an in eodem statu ad finem perstiturus sit, cum hoc divinitus revelatum non sit: stat fide, sed alium non sapit & de propitiato peccato non est sine metu, sed etiam post peractam pœnitentiam orat cum Davide: Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me, ac in timore & tremore NB. operatur salutem.

*Phil. 2. 12.*

7. Flus

7, *Fluctus circa Bona Opera.*

**Q**uod Bona opera renatorum non iustificent, non salvent non possunt perfecte à renatis præstari, sed inquinata sunt, stercora sunt, impura sunt ut pannus menstruus: hæc sordium colluvies limpidioribus fontibus Israël abluenda fuit. Quomodo enim multi incedebant in omnibus mandatis & iustificationibus sine querela? Quomodo nihil condemnationis manet in ijs qui secundum carnem non ambulant? Quomodo possunt placere Deo si sunt legi difformia? & si difformia erunt aberratio à Lege & consequenter peccata. Nam juxta definitionem Dieterici dicentis: peccatum esse aberrationem à Lege divina, ita arguo: Quidquid est aberratio à norma Legis divinæ illud est peccatum. Atq; bona Opera Acatholica, est aberratio à norma Legis Divinæ E, sunt peccata, Ergo graviter Deum offendunt & ad severam vindictam provocant Major est Dieterici. Minor ultro concessa. Quia quod bona opera difformia sint Legi conceditur. Jam quidquid non satisfacit Legi illud est aberratio à Lege. Atq; Bonum opus per vos E.

Dices: Licet non sint congruentia cum Lege, tamen placent Deo propter personam

C s

fide

fide reconciliatam R. 1. Non est in quaestione  
 utrum placeant, sed utrum sint aberratio 2.  
 Quomodo improbum opus in probo placere  
 potest homine? stercorea in pura veste? 3. Illa  
 aberratio boni operis à Legge, est ne Deo grata  
 in se? vel non? Si est grata: igitur Deo gra-  
 tum erit aliquid, quod averfatur. Si ingrata  
 igitur non præstanda.

Dices: Satis est, quia reconciliata persona  
 Deo placet Quare? *per fidem.* Ergo fides in  
 tali persona perfecta debet esse, alioquin si  
 imperfecta erit, aberratio erit, quæ aberratio  
 per quid iterum placebit Deo?

Dices: Sed fides non justificat ut imperfe-  
 ctum opus Legis; sed ut respicit ju-  
 stitiam Christi, quam putat & credit tuam esse.  
 R. Quo plus ex palude hac emergere conaris  
 plus immergeris. Quæro: credere justitiam  
 Christi tuam esse, estne opus bonum, vel ma-  
 lum, vel aliqua privatio, vel quid entis aut  
 non entis? Dices: est relatio; Sed ô dilecte  
 Domine, ex quo claro fonte limosus hic &  
 obscurus rivus? Hoc est avertere se à Deo &  
 placere sibi Ad inventionibus suis: à claro Dei  
 verbo ad relationes transcendentales Philoso-  
 phicas recurrere! Quærenda igitur fuit in Arca  
 Sacræ Scripturæ,

Quies

## Quies Catholica.

**C**redit Catholicus & ego cum illo i posse renatos perfecta Legis opera præstare, ut testatur Deus de Jobo: *in omnibus his non peccavit Job labijs suis.* De Davide: *Servus meus David custodivit mandata mea & secutus est me NB. in toto corde.* De Josia: 3. Reg. 14. *Similis illi ante eum non fuit Rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo & in tota anima sua & in universa virtute sua juxta NB. omnem Legem Moysi:*

Credit 2. Jugum Christi suave esse & leve nam quod impossibile erat Legi, Deus Filium suum mittens damnavit peccatum in carne ut *justificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus Rom. 8.* Et quod, qui sunt Christi, *hi carnem suam crucifixerunt cum vitijs in concupiscentijs. Gal. 5.*

Credit 3. præter mandata Christi Consilia impleri posse? Dicit enim Christus Adolescenti: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes & da pauperibus & veni & sequere me Matt. 19.* Daniel *trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedit & caro & vinum non introjerunt in os ejus Dan. 10.* sic Anna habet laudem, quæ non discedebat de templo, *jejnijs & obsecrationibus serviens die & nocte Luc. 2.*  
sic

*Matt. 19. 29*

✠)36(✠

Sic Christus: Amen dico vobis: nemo est qui relinquit domum, aut parentes &c. propter Regnum Dei & non recipiat plura in hoc tempore & in sæculo venturo vitam æternam. Hæc & alia plurima non sunt præcepta à Deo sed consilia! Multa etiam devotionis opera non præcepta grata esse Deo, manifestum est in Maria Magdalena. Nusquam enim legit illa in Scriptura, pœnitentes oporteat pedes osculari, & capillis abstergere, quæ cum nullum in Scriptura deluper mandatum, nullum promissum, nullum exemplum habuisset, merito superstitiosa dicenda fuisset. &c.

*Fluctus 8. de Pœnitentia.*

**C**onfessio Aug. docet, duas Pœnitentiæ Partes. Formula Concordiæ addit novam obedientiam, quam tamen Dieterius dicit fructum pœnitentiæ. Mirabar his doctrinæ ventis agitados. Fides verò quæ dicitur pars pœnitentiæ, aut ita absolvit pœnitentiam ut perfecta sit sine nova obedientia, aut non? Prius? Põtest igitur aliquis verè esse pœnitens tamen si nihil boni operis agat post pœnitentiam. Posterius? necessariò itaque erit pars. Quanquam ubi *sola fides* sufficit, ad quid nova obedientia!

Por-

Porro fluctuabat conscientia: Quod Ninivite ante peractam pœnitentiam credidisse dicuntur, & postquam cœdidissent induci sunt sacco & prædicaverunt Jejunium Jon. 3.

Suggestum est: Crediderunt historicè non salvificè R. 1. Credere igitur Deo, non erit crede salvificè? 2. nonne ideo egerunt pœnitentiam quia crediderunt Deum sibi fore propitium? 3. Nonne omnes pœnitentes crediderunt sibi Deum fore propitium propter Christum, & tamen ad alia salutis media in Dei verbo commendata, & ab Ecclesia etiam præscripta solliciti confugerunt? Stipitem esse oportet qui non intelligat & non admittat. Et ipsa vox *Pœnitentia* dolorosos quosdam infert actus, ut docet.

*Quies Catholica.*

**Q**uomodo? requirit 1. Contritionem. Quando credit Deum vindicem esse peccatorum tam pœnis temporalibus quàm æternis 2. concussus hoc timore, credens sibi Deum fore propitium, confitetur peccata sua exonerat conscientiam coram illo qui remittere vel detinere peccatum debet. 3. Cum credat Deum temporales pœnas non semper dimittere dimissis æternis, conatur cum Divi-  
de

de mitigare poenas has precibus, jejunijs, Eleemosinis, Castigationibus corporis aut alijs per Ecclesiam præscriptis devotionibus.

Credit nempe dicenti Nathano ad Davidem: *Dominus transfudit a te peccatum*: verumtamen NB. *quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, filius qui natus est tibi morte morietur.* sic Num. 14. Ipse Jehova dicit: *Dimisi juxta verbum tuum (ô Moyses) attamen non videbunt terram, pro qua juravi Patribus eorum Contra quæ, & alia plurima, quomodo averfa sit à Deo Poenitentia vestra charissimi mei considerate!*

*Fluctus 9. De Confessione.*

**M**odus confitendi in Hungaria Lutheranorum suffecit ad deterendos tales Confessores. Quia contra Aug. Conf. (ad quam in Inauguratione ad officia jurare dicuntur) privatam Absolutionem omittunt. Quod dissidium cui pio erroris suspicionem non inferret? Et tamen admittat eam Confessio, eam tamen consistere in annunciatione remissionis peccatorum, non quievit conscientia. Siquidem potestas remittendi peccata Apostolis eorūq; successoribus data & commissa esset, qui tanquam Legati & Judices inter lepram & lepram judicare tenentur.



tur. Unde etiam distincta peccatorum, quorum sibi quisque conscius est, expositio requiritur, citra hanc nemo discernere, an remitti an retineri debeat, & ineptum sit eandem de otioso verbo & adulterio pronunciare sententiam, quia quò gravior morbus eò gravioꝛe medicina sanandus est. Quis adulterum obligabit in hoc foro ut dimittat adulteram, furem ut restituat &c. aut quomodo absolvet recusanti nisi aperiat. Optimè & clare ac disertè Siracides: *non confundaris confiteri peccata tua, & pro anima tua ne confundaris dicere verum, est enim confusio adducens gratiam & gloriam* c. 4. Taceo quod propria experientia edoctus sim multos, cum jam palam non liceat, nocturno tempore sine ulla penitus exploratione, noctuæ istæ ad communionem admiserint, contenti offertorium accepisse.

### *Quies Catholica.*

**C**redo Cum Catholicis quòd: *si confiteamur peccata nostra Deus fidelis est & justus ut remittat & emundet nos ab omni iniquitate* 1. Joh. 1. Sed confitendum Potestatem habentibus, quibus datæ sunt *claves regni Cælorum* ut claudant & aperiant Joh. 20. ut *reimitt-*

remittant aut retineant. His enim posuit *ver-*  
*bum reconciliationis*, qui pro Christo legatione fun-  
guntur. 2. Cor. 5. *v. 20.*

Credo quòd Sacerdoti imperatum sit in sa-  
tisactionem pro peccato: *Offret pro peccato suo*  
*vitulum immaculatum Domino Lev. 4. temerè ju-*  
*ranti offerat de gregibus agnam vel duos turtures &c.*  
Ita cum David peccasset audivissetq; *transiit*  
*Dominus peccatum tuum* morte tamen filij puni-  
tur, nec desinit orare: *amplius lava me ab ini-*  
*quitate mea.* Sic justo ultionis in se zelo, *confi-*  
*tentes qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros &*  
*combusserunt coram omnibus Act. 19. v. 19.*

*Fluctus. 10. Circa Communionem sub una.*

**S**I in antecedentibus fundamentalibus quie-  
tem reperit fluctuosa Conscientia; nec in  
hoc scopulo deseret cimbam hanc consci-  
entiae, Cynosura Catholica. Utinam in alijs  
salutis negotijs magis disertam & claram imò  
definitivam sententiam Scripturarum Sacra-  
rum, quàm in hoc, admitterent, minùs & hic  
offenderentur. Nam communio Calicis sive  
Præceptum sive institutum sit, non omnes ob-  
ligat. Ponamus præceptum esse ad omnes  
extensivum tum 1. Includet infantes 2. qui  
per naturam vinum gustare nequeunt 3. Po-  
pulos multos, ad quos nunquam copia vini  
suffi.

sufficiens venit, à sumptione totius Christi ex-  
 cludet. 4. Quomodo stabit Sacrae Scripturae  
 veritas, quae semper & ubique eadem est,  
 cum quod dicit Matt. 26. *bibite ex hoc omnes*  
 hoc dicit Marcus. 14. & *biberunt ex eo omnes qui*  
 illi? non ego, tu, ille, sed *Omnes*, qui erant praesen-  
 tes videlicet Apostoli in Sacerdotes constituti,  
 qui benedicere, qui ministrare (Sacrificare) Act.  
 13 debebant in Christi commemoratione 5. Si verò  
 verba haec praecipiva extendunt se ad singulos,  
 cur non & illa: *Sic & vos debetis unus alterius lava-*  
*re pedes.* 6. Prudenter considerando non debet  
 carere suo mysterio, quòd eo tempore tot &  
 tanti fideles praesentes non fuerint. B. V. Maria  
 Magdalena, Salome, Nicodemus & ceteri!  
 7. Etiam Sanctus Paulus panem absolute, Ca-  
 licem sub conditione: *quotiescunque* inquit *bibe-*  
*ritis*, praescribat q. d. non semper bibetis, sed  
 quodocunque biberitis semper in mei com-  
 memorationem bibetis 8. Mirum, in non defini-  
 to Scripturae Sacrae sensu, sed nunc ad utram-  
 que nunc ad alterutram speciem propendente  
 ita fideles ad utriusque sumptionem obligari  
 ut Sacrilegium dicant solo corpore Christi  
 retici, contra manifesta Christi verba: *qui man-*  
*ducat hunc panem vivet in aeternum.* Si interget  
 in pane Christus susceptus est, vita gratiae  
 dignè sumentibus negari non post, quia haec  
 D datur

Hinc  
 1397

1398  
 1400  
 1407

Brech  
 459. a  
 458. b.

datur proter Christu, non propter panis vel vini species. 9. Cum itaque Scriptura Sacra indefinite relinquat pro Laicis, sed nunc utramque nunc alterutram insinuat, standum est in definitione & decrero illorum, quos *posuit Deus regere Ecclesiam Dei*, nam qui hos audit, Christum audit 10. Recte igitur hi quos ponit Deus *regere Ecclesiam Dei*, tempore Manichæorum vinum execrantium, utramque mandarunt unde constat in recepto Ecclesiæ usu utramque non fuisse in praxi. Vide Concil.

*Constantiense  
366*

Constant. Sess, 13. Taceo quod Lutherus nunquam alias sibi constans, dum Laicis mox utramque mox unam ex definitione Conciliorum speciem commendat, trigiesis & sexies sibi contradicat, ad quem tuum te mitto Apostolum.

Si verò est Institutum, tum non magis obligabit omnes, quam Matrimonium pro omnibus institutum. Stante itaque hac diversa Ecclesiæ Catholicæ pro tempore & circumstantiarum diversitate decisione, docet nos.

*Quies Catholica.*

**C**RÉdit Catholicus & ego cum illo: bibisse ex calice *omnes* quibus dictum: *bibite ex hoc omnes*. Et quod is, qui in  
ultima

✠)43(✠

ultima Cæna præter panem accipiens calicem gratias egit & dedit, in Emaus solum: accepit panem benedixit & fregit & aperti sunt oculi eorum Luc. 24,

Br.  
458

Dices: vulgaris fuit Cœna; R. privata est opinio, communi Ecclesiæ iudicio subijcienda, de quo supra.

Credo item: quod qui corpore porrecto dixit: hoc facite in mei commemorationem exhibito sanguine conditionatè dixit: quotiescunque biberitis & Sanctus Paulus: vel de calice bibat. Et qui dixit Joh. 6. Nisi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis sanguinem ejus, idem & ante dixerit: Patres vestri manducaverunt manna in deserto & mortui sunt, ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendit, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et postea: qui manducat me, vivet propter me. Qua in deserta & clara Scriptura & in ea fundata Ecclesiæ definitione securius quiescet, quam in vanis exceptionibus unionem unius Ecclesiæ scidentibus, Conscientia Catholica!

Hülls.  
1398

Br.  
458.

Fluctus 11. de Missa.

**F**also inquit Augustana Confessio accusantur Ecclesiæ nostræ quod missam aboleant. Retinetur enim apud nos Missa & summâ reverentiâ celebratur, servantur & usitatæ

D 2

Cere-

Cérimoniz feræ omnes , præterquam, quòd Latinis admisceantur germanica. Jam subortus est fluctus, Illam ne Missam retinuerunt Confessionistæ, quæ apud Catholicos illo quoque tempore usitata fuit, vel verò aliam. Si illam Ergo frustra in eadem Confessione sex argumentis oppugnatur, aut si qui, ut conquesti sunt abusus irreplerunt, illos venerabile Concilium correxit. Si Aliam. Igitur non frustra accusabantur quod Missam Catholicam abolerint. Accessit, quod in Hungaria ne vestigium quidem alicujus Missæ' multo minùs Confessionistice apud Prædicantes relictum sit, & si qui à tempore mutationis hujus ornatus in Ecclesijs sunt relictæ, hi vel temporis diurnitate putruerunt, vel in usus prophanos, utnam non muliebres sunt conuersi, & sic cum rei substantia accessoria etiam reformatiores isti Reformatores abolerint, non falsò accusandi vel condemnandi.

Vel itaque Confessionistæ in abolitione Missæ Catholicæ errarunt, vel Hungarici Prædicantes in Confessionem Augustanam jurantes & nullam Missam servantes, errant & per hoc meriò damnandi, vel Lutherus, qui faterur se svalu dæmonis Missam abrogasse. Tom. 7. Germ. vitt. edit. fol. 479. non erravit. Quam tutiùs te docebit.

*Quies*

*Quies Catholica*

**C**redit Catholicus & ego cum illō :  
 Quod, Christus semel oblatus sit ad mul-  
 torum exhaurienda peccata, alioquin oportet  
 ret eum frequenter pati ab origine mundi. Heb. 9.

Una enim oblatione consummavit in sempiter-  
 num Sanctos Heb. 10. sed simul credo: Quod  
 sit Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchi-  
 sedech. Psal. 109. Qui Melchisedech. Rex Sa-  
 lem protulit panem & vinum, erat enim Sacer-  
 dos Dei altissimi Gen. 14. Et: habemus Alta-  
 re ( *Ἰεραστήριον* Aram Sacrificii ) Heb. 13.

Christo sic intituente eum dixit: hoc est corpus  
 meum, quod NB. pro vobis datur. pro vobis ef-  
 funditur hoc NB. facite in mei commemora-  
 tionem. Ubi enim melior commemoratio D.  
 N. I. C. quam ubi & passio & Sa-  
 crificium cruentum in cruce peractum oculis  
 nostris præsenteratur in solatium animarum.

In hoc impletur: In illa die erit *Altare Domini*  
 in medio Terræ Aegypti, & colent eum in  
 hostijs & muneribus Es. 19. & illud: ab ortu  
 usque ad occasum magnum est nomen meum  
 in Gentibus, & in omni loco Sacrificatur & of-  
 fertur nomini meo oblatio munda Malach. 1. Chri-  
 stus etenim cum sit Sacerdos in aeternum se-

*Major  
538 b*

*Hül  
1528  
Reine  
168.*

*Subia  
S. N. I. C.  
S. I. C.  
mact  
sacrif  
10, si  
sio.*

*x 19. 2*

secundum ordinem Melchisedech, & omnis Pontifex  
 ex hominibus assumptus sit, ut offerat dona &  
 Sacrificia ad Heb. s. panem & vinum perpe-  
 tuò offeret. donec ablatum fuerit iuge Sacrifici-  
 um & posita fuerit abominatio Dan. 12. VII.

Cum vero Sacrum hoc incruentum Sacri-  
 ficium Abominatio sit Lutheranis addere pla-  
 cuit pro informatione verba Massenij P. 3.  
 Med. Conc. p. 293. ubi sic scribit: Christum  
 semel tantum oblatum esse in cruce, neque  
 talem oblationem ultra requiri libenter con-  
 cedimus. Sed cum Paulus c. s. Monuerit  
 quòd Christus à Patre constitutus sit Pontifex  
 & Sacerdos in æternum, secundum ordinem  
 Melchisedech de cuius Sacerdotio & oblatio-  
 ne panis & vini Hebræis abunde ex Gen. 18.  
 constabat, ut idcirco hunc ordinem Paulo ex-  
 ponere necessum non fuerit: non possumus  
 incruentam quoque illam oblationem Christo  
 negare, quæ alteram non obscurat, sed egre-  
 gia quædam imagine ubique ante oculos  
 exposita illustrat. Quo brevitatis

Causa Lectorem remitto.



Alios



Alios Fluctus: de Ritibus Ecclesiæ, de Gu-  
bernatione Ecclesiæ Monarchia &c. licet apud  
me compositi sint, in gratiam tamen conver-  
tendorum vel evertendorum brevi auxilio ante  
gratia Dei componam.

PRO APPENDICE TAMEN ACCIPE  
EXAMEN CONSCIENTIÆ LUTHERANÆ.

**E**Xue tantisper affectum odij in Catho-  
licos, & solius saltem discursus gratia  
sic tuam examina conscientiam: Bone  
Deus! siquidem tot Religiones sunt in Chri-  
stianissimo, & quilibet in sua se salvare putat,  
& cum UNA tantum debeat esse Fides, sicut  
unus Deus, ideo non est possibile quemlibet  
in qualibet salvare, qualitercunque ille putet.  
Ergo forsitan & hæc mea, in qua natus sum,  
Religio & in qua vitam transigo erit erronea?

Suggeret tibi conscientia: mea non potest  
esse erronea, quia congruit cum verbo Dei.  
Rectè. Omnino illa Religio est vera quæ con-  
gruit cum verbo Dei, sed cogita: siquidem  
hoc ipsum quilibet Hæreticorum sibi vendicat  
& ab initio fundatæ Ecclesiæ quotcunque fue-  
runt Hæretici omnes suam cum verbo Dei  
congruere statuebant doctrinam, damnati tamen  
ab Ecclesia Catholica fuerunt. Putare igitur

& apud temetipsum si acere non sufficit, ut manifestum est in omnibus ab Ecclesia damnatis: accuratius igitur inquirenda est illa Religio & Ecclesia, quæ fuit ab initio, quæ damnavit hæreticos, quæ est Catholica, quæ Dei verbum habet, ut non tantum putes, sed firmissimè convincaris in hac, non in illa esse Doctrinam Apostolicam, esse Dei verbum, esse Sacramenta, esse salutem.

Ex quibus igitur infallibilibus signis cognoscam talem Ecclesiam, cui animam meam curandam & salvandam secure tradere possem?

Suggeret tibi Conscientia: cognosces illam ex pura verbi Dei prædicatione & Sacramentorum administratione.

Sed reponet iterum: Ego hoc quæro, ubi nam & in qua Ecclesia sit talis Dei verbi prædicatio & Sacramentorum administratio. Alijs itaque signis designa illam orthodoxam, in qua hi thesauri inveniantur.

Ducerem te ad signa Papisticæ Ecclesiæ, quæ Catholicæ illius, quam quærimus & sub animæ salute quærere debemus Ecclesiæ dicit signa esse. 1. Nomen Catholicæ Ecclesiæ 2. Antiquitatem 3. durationem non interruptam 4. Amplitudinem 5. Continuum Episcoporum ab Apostolis ad nos successionem 6. doctrinæ conspirationem 7. Unionem

nem

nem membrorum cum capite 8. Sanctitatem  
doctrinae 9. Efficaciam doctrinae 10 Sanctira-  
tem Doctorum. 11. Gloriam miraculorum  
12. Confessionem Adversariorum &c. Sed  
tu hæc omnia cum Deiterico tuo rejicis, quam  
prudenter, videris.

Interim assummo tuas illas notas, hac ta-  
men lege: quòd si puram Dei verbi prædica-  
tionem, Sacramentorum administrationem in  
moderna Romana Catholica vigere & ante  
Lutherum viguisse evicero, ut convertaris,  
vel si converti nolis, manifestæ obstinatæ reus  
habeâris.

Perge itaque cum Dieterico & quære: Cur  
dicitis *Credo Ecclesiam Sanctam*? Respondeas cum  
illo: *Quia firmiter credo, Deum ministerio verbi &  
Sacramentorum sibi semper in hoc mundo Ecclesiam  
colligero, eandemque ad finem mundi conservari velle.*

Quæro porro: Quid igitur est Ecclesia? R:  
*Est Cætus hominum vocatorum visibilis amplectentium  
verbum Dei & rectè utentium Sacramentis.*

Item: Quæ verò sunt Ecclesiæ hujus Ca-  
tholicæ & Apostolicæ veræ & intallibiles no-  
tæ? R. 1. Pura verbi Dei prædicatio 2. le-  
gitima Sacramentorum administratio. Hinc  
Axioma: Ubi verbum Dei sincerè prædicatur  
& Sacramenta legitimè administrantur, ibi est

vera Ecclesia. Extra Ecclesiam enim non sonat  
vox Evangelij, nec dispensantur Sacramen-  
ta.

Interroga te metipsum: Sint ne hæc vera?  
respondebit Conscientia: omnino verissima.

Assume jam veritatem hanc tuam & perge  
in Conscientia tua sic: Ubicumque fuit *Cœtus*  
*hominum vocatorum visibilis amplectentium verbum*  
*Dei & rectè utentium Sacramentis* ibi fuit Ecclesia.  
NB. illa quam simul quærimus Sancta Catho-  
lica. Atqui ante Lutherum fuit Cœtus ho-  
minum vocatorum visibilis &c. Conclude:  
Ergo fuit Ecclesia NB. Sancta illa Catholica  
in quæstione proposita & in Symbolo Apo-  
stolico credita. Perge jam ex admittis: Ubi-  
cunque erant qui amplectebantur verbum  
Dei & rectè NB. utebantur Sacramentis, ibi  
necessariò fuerunt, qui traderent verbum Dei  
& rectè administrarent Sacramenta, Atqui  
ante Luther. E.

74.  
243  
Vel forssan adhuc ineptè dices: Concedo  
ëgo fuisse ante Lutherum Ecclesiam Sanctam in-  
visibilem. Reponet tibi conscientia: Ergo non  
fuit Cœtus hominum vocatorum *visibilis*, vel  
igitur Dietericus te male docet, vel tu doctior  
illo ineptè invisibilem vides.

Nam, verene Dietericus Ecclesiam defini-  
vit? dices, verè. Verene dicit, Deum sibi  
sem-

semper ministerio verbi & Sacramentorum colligere Ecclesiam? Verè. Item, collegitne sibi illà ante Lutherum? collegit. Debebant itaq; esse verbi Dei Prædicatores & Sacramentorum legitimi Administratores,

Occurreret scrupulus: Concedo ego quod fuerint verbi Dei Prædicatores, & Sacramentorum administratores, sed non prædicabant *purum* Dei verbum & non administrabant *legitime* Sacramenta. Et ab hoc scrupulo te liberabo. E. 1. non fuerunt istæ Notæ. E. 2. erroneè Dietericus docet, quòd hæ Notæ (1.) Veram Ecclesiam certò ostendunt. (2.) Eidem NB. *Soli & semper* conveniunt (3.) Eam ab alijs distingvunt, & (4.) Ab eadem denique separari nequeunt. Jam itaque si non fuit ante Lutherum vel illo adhuc Catholico manente *pura* Dei verbi prædicatio, & *legitima* Sacramentorum administratio. E. neque fuit Ecclesia illa *Sancta Catholica*, quæ per Dietericum debuit esse: *Cætus hominum vocatorum visibilis amplectentium verbum Dei & NB. rectè vitentium Sacramentis*? Ecce, aut Ecclesiam ante Lutherum perdidisti, aut si Ecclesiam ante Lutherum *Sancta Catholica per Dietericum definita*, & in Symbolo Apostolico credità, esse debuit, Debuit habere *puros verbi Dei*, Prædicatores, & *legitimos* Sacramentorum administratores!

dices:

dices : Fuit , fuit Ecclesiá ánte Lutherum ,  
 sed non apud Pápastas sed apud Valdenses.  
 R. 1. Putabam Hussicas Visceritatas, Tabori-  
 rás Piccartitás vel nescio quos Orco damna-  
 tos dicturum. Estne hoc Ecclesiam Sanctam  
 Catholicam investigare? 2. Qualiter Valden-  
 ses cum doctriná Lutheri conveniant, audi Lu-  
 therum in Colloq. Germ. dicentem: Sán-  
 ctos quidem operarios esse , sed nequáquam  
 credere , *quid fides sine operibus iustificet.* Quo-  
 modo itaque quæris Ecclesiám Sanctám Cá-  
 tholicám apud Hæreticos in fundaméntali Ar-  
 ticulo errantes & teste Majero Sleidano, &  
 alijs septem Sacramenta admittentes , & non  
 nisi (vasu Lutheri tandem duo duntaxat cre-  
 dentes ? Vel verò non erit Hæreticus , qui  
 negat. *Sola* justificari *fide* & septem admit-  
 tit cum Catholicis Sacramenta ? 3. Eo ip-  
 so Anno, quo Lutherus natus est & usque  
 quo cœpit invadere Ecclesiam , fuitné Cœ-  
 tus hominum vocatorum visibilis amplecten-  
 tium verbum Dei & rectè utentium Sacra-  
 mentis ?

Dices: fuit , sed Doctóres eránt corrupti ,  
 verbum Dei depravarunt , humanis traditio-  
 nibus obscurarunt, Sacramenta non legitimè  
 administrarunt , & ne amplius dissimulem di-  
 cam quid sentio . Pápa jam Antichristus fuit,  
 &

& omnes Affectæ ejus seductores facti sunt Populi, à Doctrina Apostolica degenerarunt. o Conscientiam! Istine ergo colligebant Christo Ecclesiam. Istine verbum Dei purum prædicaverunt & Sacramenta legitimè administraverunt, ut fuisset Ecclesia *Sancta Catholica*, cui per Dietericum *Soli & semper* convenit pura Dei verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio? Vide Sacratissime Jesu ventu- re Judex vivorum & mortuorum quomodo per Filium perditionis salvavi fecisti animas fidelium tuorum? quomodo ædificaverunt Corpus tuum, quod est Ecclesia destructores isti? Quomodo promisit Sanctus tuus Paulus, quòd daturus sis Ecclesiæ tuæ: Pastores & Doctores ad ædificationem Corporis tui, ut non sint fluctuantes & circum ferantur omni vento Doctrina ad circumventionem erroris ad Eph. 4. ? Cogita, & in salutis negotio cautiùs progredere ò homo!

Et licet possint in Ecclesia aliqui suboriri errores, substantiam tamen fidei Catholicæ evertere non possunt.

Et daro, non tamè admissio irrepressisset aliqui tempore Lutheri in Ecclesiam abusus: Nonne salutariùs fuisset publico sanare Concilio ut factum est, quam privatæ opinioni inhærendo, in nihil inter se certi definiendo, diversis opinionibus fluctuando, ad Arma convolare,  
Do-

Doctores Ecclesiae seductores, Antichristos,  
& nescio quibus Evangelico homine indignis  
titulis litulare?

4.  
50.  
Non posse autem Antichristum vel Ase-  
clas ejus esse veros Ecclesiae Christi doctores  
& Pastores, non posse esse puri verbi Dei Prae-  
dicatores & legitimos Sacramentorum admi-  
nistratores, non posse Christo colligere Eccle-  
siam non posse esse pars Coetus visibilis sive  
Ecclesiae quam quaerimus, in qua per conces-  
sum debuit esse pura verbi Dei praedicatio &  
legitima Sacramentorum administratio tan-  
quam notae Catholicae Ecclesiae, inseparabiles,  
*uni soli & semper* convenientes, evinco taliter:

1. Antichristus & Haereticus non possunt  
esse pars visibilis Ecclesiae 1. Joh. 2. Antichri-  
sti multi facti sunt ex nobis prodierunt, *sed non*  
*erant ex nobis*: Non possunt igitur hi aedificare  
Corpus Christi, sed destruere.

2. Qui negat: *Quoniam Jesus est Christus &*  
*negat Patrem & Filium*, non potest per mille  
annos propagare Regnum Christi, Talis est  
Antichristus & Aseclae ejus, E.

3. Qui non serviunt Jesu Christo, sed suo  
ventri & per Dulces: NB. *Sermones seducunt*  
*corda innocentium* non possunt propagare Re-  
gnum Christi, Sed Tales sunt Haeretici, E.

4. Qui



4. Qui missi non sunt à Christo ejusve Successoribus illi non possunt prædicare verbum Dei. *Quomodo enim predicabunt nisi mittantur?* sed tales sunt Hæretici. E.

5. Pastores & doctores debebant ædificare Corpus Christi quæ est Ecclesia E. non Hæretici qui destruunt.

6. Oves Christi *Proprium Pastorem sequuntur*, quia sciunt vocem ejus, alienum autem non sequuntur *sed fugiunt ab eo quia non noverunt vocem ejus.* Sed proprius ovium talium Pastor, tantum est Orthodoxus, Ergo ex vi correlatorum, ubi erant tales oves, debebant esse & tales Pastores.

7. Si Hæretici Doctores in Ecclesia tot Seculis docuissent fideles & in rebus ad salutem necessarijs instruxissent, propagasset Diabolus per ministros suos Rgnum Christi. Quid quia est absurdum, quid opus ulterioribus Rationibus contra tam irrationales creaturas agere, qui audent asserere ignorantem populum à Seductore rectè instrui ad fidem Christi, & Gregem, qui Pastorem sequitur, non errare, errante Pastore, Corpus Christi, quod est ecclesia ædificatum fuisse à Destructoribus! Quantum dedecus est homines ratione præditos ad tantam absurditatem delabi malle, quam Veritatem ante oculos positam Ecclesiam Catholicam in  
 Consp-

Conspectu omnium Gentium velut Civitatem  
supra montem ædificatam venerari! Deus in-  
felices has animas ab hoc *misterio iniquitatis* ad  
Viam rectam & quam quærunt *Ecclesiam San-  
ctam Catholicam* reducat qui *Gentens in Unita-  
tem Fidei congregavit.*

*Concludat pro me Sanctus Augustinus.*

*Epist. 50. ad Bonifacium.*

**E**cclēsia Catholica sola est Corpus Christi,  
cujus ille Caput est, Salvaror corporis sui  
Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus  
Sanctus. Quisquis ergo (idem in Ep. 152. ad  
Donat) ab hac Catholica Ecclesia fuerit se-  
paratus, quantumlibet laudabiliter se vivere  
existimet, hoc solo scelere, quod à Christi  
unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed  
ira Dei manet super eum!

Lege, meditare, rumina, & si quid incon-  
trarium habes, securè vel calamo, vel Typo  
publicari, aut saltem ad manus meas perveniri  
facias Christiane æternum vel salvan-  
de vel damnande Lector!;

**F I N I S.**





Aug V 63

ULB Halle

3


004 087 178




Sb

VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.



8

# INQUILLITAS

SENTIÆ CATHOLICA,

SEU

ius, Sanctæ, Catholicæ,  
æ Ecclesiæ, verbis & senten-  
s Sancti Spiritûs in scripto  
entis, post varios & diuturnos  
catholicos conscripta & co-  
m mundo publicata.

## PROFESSIO,

PER

LAUM THAMASSI,  
ABRI SOLNENSEM,

I. Cor. I. v. 10.

vos Fratres, per nomen  
ostri JESU Christi, ut id-  
catis omnes, & non sint in  
ismata. Sitis autem perfecti in  
sensu, & in eadem sententia.

IAE, Typis Academicis, Excudebat  
Nicolaus Martius. 1687.